P R O

ABSENTE U. J. D. D. MARCO-ANTONIO ANDREACI
CIVITATIS ASCULI

APUD M.C.V. CAUSARUM CRIMINALIUM

EXCUSATIO, NULLITATES,
Innocentiæque Purgatio.



J. M. J.


UM immerito ingenuus nimis, atque honestus Asculanæ Civitatis Adolescens nomine D. Marcus Antonius *Andreaci* de quopiam prætenso falsitatis crimine fuerit insimulatus, ac proinde nullis admodum probationibus existentibus, per Magnæ Curiæ Tribunal fuerit adversus ipsum contumaciale quoddam judicium instructum, ne illius innocentia inanibus opprimatur figmentis, quæ sequuntur nullitatum Capita omni reverentiæ cultu proponuntur, ut minitata rigidissima Capitalis sententia contra absentem, quæ de more dicitur *forjudicationis*, pro nunc impediatur; atque exinde miserrimi illius adolescentis incolumitati opportune consulatur.

SEd præmittendum erit, quod nonnunquam vulgus, cœcus ille, ac prope falsus rerum æstimator, autumat, grande persæpe in judiciis Rei absentiam præbere facinoris argumentum; ideo forsitan, quod quia pavidus, idcirco criminis conscius ille videatur. Sed si accuratius aliquantulum hic rem expendere fas erit, illico plane adparebit, utplurimum illos, qui seipsos alicujus facinoris insimulatos sentiunt, non utique ob criminis conscientiam, sed potius ob innatum, insitumque quendam pavorem Tribunalis Majestatem, atque Magistratus præsentiam perhorrescere solere. Et hic extra aleam haud erit Plautinum illud, tam frequenter in Scholis, atque in Foro usitatum repetere: *Nescis tu, quam meticulosa res sit ire ad Judicem?* Ea quippe humanæ imbecillitatis est conditio, ut non tam æquitatis, quam potestatis il-

lorum, qui judicio præsunt reo utplurimum in mentem veniat: discriminis enim proximitas, & magnitudo, horridis sane, tetricisque imaginibus eidem ante oculos potius ponit quid possit is, cujus in ditione, ac potestate, vita, fama, atque fortunæ ipsius sunt constitutæ, quam quid debeat facere.

Et sane non immerito, ut testis est Plato, Alcibiades nonnunquam dicere solitus erat, stultum sane fore illum, qui accusatus, cum effugere posset, quærat potius absolvi, & judicari. Hæret equidem in judiciis magna quædam dubietas, & ambigui cujusdam eventus anxietas, quæ fortissimi cujusque animum ægris usque afficit curis, ut ei vix quiescendi spatium tribuatur. Infestum etenim paucorum testium odium, & simultas; falsaque quædam invisi accusatoris criminatio sæpissime sufficiunt ad miserrimum aliquem innoxium damnandum.

Quare cum satis sit omnibus exploratum, nihil esse capitalibus judiciis incertius, utpote quæ in occultis aliorum factis perscrutandis consistunt, ideoque facillime ob judicii festinationem turpiter accidit, ut reus absolvatur, & innocens condamnetur; cumque nemo possit in dubium revocare, quin hæc inter omnia quæque gravia judicia primum sibi vindicent locum; in his nempe hominum fama, fortuna, & demum vita ipsa utplurimum in discrimen adducitur, quid mirum, si quis innocens licet, & omnino criminis expers, cum videat se, ob alterius nequitiam, atque calumniam, gravis alicujus flagitii insimulatum, ac perinde carissima sibi quæque, ac pretiosiora hujus humanæ vitæ bona, & forsitan vita ipsa in periculum adducta, sibi, suæque innocentiæ maturo propemodum consilio providere satagat?

Sed operæ pretium erit, ut ad nullitates absolvendas sermo progrediatur.

Pri-

PRima nullitas ex defectu corporis delicti probationum originem sumit. Cum etenim hominibus nusquam majori opus sit studio, atque opera, quam in capitalibus judiciis exercendis, iisque præsertim, quæ contra absentes inaudito, indefensoque Reo, Naturæ lege dolente, peraguntur: hinc sequitur, ut sedulo cavendum sit iis, qui in sublimi judicandi dignitate sunt elati, ne in miserrimis innoxiis condemnandis inconsulto quandoque prolabantur: quod interdum evenire haud ambigitur, si in summis probationum capitibus perscrutandis, iisque magno labore perpendendis, cunctis quisque viribus curam omnem atque omne studium non adhibeat.

Quod eo magis in *forjudicationis* sententia promulganda evenire nemini dubium esse potest, utpote quæ in gravioribus tantum criminibus, iisque demum, in quibus vindex constituitur gladius, locum sibi vindicat. Immo nec sola gladii pœna ad hanc proferendam sententiam sufficit, namque illæ flagitii probationes, atque hujusmodi sceleris argumenta requiruntur, ut penitus Reus convictus videatur, nec Judici amplius dubium sit, quin ille facinoris auctor extiterit.

Sed & neminem fugit, duplicis esse rationis criminum probationes. Prima, quæ dicitur *in genere*; altera, quæ dicitur *in specie*. Illa nempe efficit, ut crimen commissum fuisse constet, hæc, ut de auctore innotescat. Interea tantum abest, ut recte *forjudicationis* sententia in hoc judicio interponi possit, ut etiam genericam criminis probationem nullam & invalidam esse, factis, & argumentis luce clarioribus adpareat.

PEr Regium Fiscum adseritur, D.Marcum Antonium *Andreaci* juvenem, qui vix tunc ex ephebis excesserat, dum mense Julii anni 1760. Civitatem Foveæ obiter teneret, indeque Neapolim versus foret breviter discessurus, sibi institum fuisse per D.Priscum *la Fragola*, ut fasciculum quendam scripturarum D.Matthæo *la Fragola* ejus filio hic degenti adferret, inter quas forte duæ Argentariæ Mensæ

Syngraphæ fuiſſe dicebantur, eidem D. Matthæo cum aliqua temporis reſtrictione ceſsæ, ne ſcilicet, ſi Syngraphæ diſperderentur, poſſet ab inventore pecunia extrahi. His poſitis prætenditur, quod idem D. Marcus Antonius hic perventus præfatum faſciculum D. Matthæo *la Fragola* tradere neglexerit, imo juvenili urgente neceſſitate ab eo syngraphas prædictas extraxerit, necnon eas aliis nomine prædicti D. Matthæi ceſſerit, atque acceptam pecuniam in proprios uſus erogaverit.

Interea, quamvis id, ſi forte factum fuiſſet (quod equidem non fuit) nullo dolo, atque in nullius damnum factum eſſe videretur, ſed potius ex errore, & teneræ adhuc ætatis imprudentia, credens nimirum, id ſibi permiſſum ex familiaritate cum ipſis *la Fragola*, eoque ſcilicet animo, ut illico eiſdem pecuniam reſtitueret, quod eodem quaſi temporis momento fuit peractum; attamen neſcitur, quo fato hujus non veri, adſertique facti fallaciſſimus rumor ad aures cujuſdam Scribæ M. C. pervenerit; a quo protinus cupida lucri mente occaſio fuit excepta, atque id effecit, ut juſtitiæ miniſterio adhibito, judiciarius curſus ſuper hujuſcemodi fabellæ inſtructione deſignaretur, vel potius ut continuo pecuniam ſibi parandi modus præberetur, quamvis poſtmodo ab ejus in alterius primi ordinis Scribæ manum cauſa volitarit. Nihil interea ipſimet D. Marco Antonio de occulto hoc procedendi modo conſtitit, niſi poſtquam exacto jam proceſſu, prima fuit inde edita citatio. Hinc in tam gravi vitæ, & libertatis ejus diſcrimine, ob rigidiſſimum jam cœptum contumaciale judicium, non aliter abſentis defenſioni erit providendum, niſi ſedulo totius proceſſus examine, per ea tantum, quæ è Capituli tenebris adparere potuerunt, ſive juſtitiæ, ſive procedendi ordo præſeferatur.

QUapropter, ut initium a probationibus, quæ circa corpus delicti verſantur, ſumatur, extra aleam haud erit ejusdem hic Capituli verba repetere. *Et cum proinde fieri deberet comparatio giratarum falſarum factarum*

a di-

a dicto D. Marco Antonio Andreace in citatis duabus fidibus crediti, oportebat præ oculis habere alios veros, & indubitatos caracteres ejusdem D. Marci Antonii Andreace, ab enunciato Domino Judice de Alexandro die decimoctavo dicti mensis Octobris scripta fuit epistola Gubernatori Curiæ dictæ Civitatis Asculi, quod provenisset alios caracteres, & subscriptiones in forma valida supradicti D. Marci Antonii Andreace, & trasmisisset, sicuti ab eodem Gubernatore transmissæ fuerunt quinque scripturæ authenticæ, & originales indubitatorum caracterum dicti D. Marci Antonii Andreace, videlicet tres cum illius subscriptionibus tamquam testis, & duæ instantiæ scriptæ, & porrectæ in dicta Curia veri caracteris, & manus dicti D. Marci Antonii Andreace, cum quibus scripturis facta deinde comparatione præscripta in dicta M. C. Vicariæ Delegata ad recursum magnifici Procuratoris Fiscalis ejusdem, præcedente decreto subscripti Domini Judicis de Alexandro a magnificis Actorum Magistris D. Michaele Angelo Crispo, & D. Michaele Angelo de Vito, isti cum eorum relatione in scriptis sub die decimoctavo sequentis mensis Decembris retulerunt enunciato Domino Judici de Alexandro, quod tam duæ ultimæ giratæ sistentes in perscripta fide crediti ducatorum quinquaginta Banci Spiritus Sancti dictantes. E per me di pagarete al Signor D. Marcantonio Andreace per altri tanti -- Matteo la Fragola -- E per me per altri tanti Marcantonio Andreace: *quam ultima girata apparens in enunciata fide crediti ducatorum bisceutum septuaginta Banci Sancti Eligii dictans*. E per me li pagarete per altritanti -- Matteo la Fragola, *& subscriptio dictans* -- Marcantonio Andreace *a t. esse scripta manu, & caractere dicti D. Marci Antonii Andreace*.

Ex quibus Capituli verbis adparet, unicam, & pene solam probationem, quæ super hoc crimine prætensæ falsitatis haberi potuisset, ex characteris, atque scripti collatione procul dubio esse sumendam. Prædicta autem collatio omnimode nulla de jure est habenda, utpote quæ super quibusdam privatis chartulis fuit confecta. Nam, quam-

quamvis Asculi Gubernator, has procul dubio a D.Marcantonio *Andreaci* subscriptas fuisse adfirmare ausus fuerit, nescitur tamen, qua religione, qua animi constantia, qua denique veritate possit id tam libenter in Capitali judicio adseverari pro firmanda *forjudicationis* sententia, cui indubitatæ probationes, & luce meridiana clariores requiruntur. Quam autem probationis vim afferre unquam poterunt incertæ quæpiam, ac privatissimæ scripturæ, non ex publicis Argentariorum Mensis extractæ, neque ex authenticis Notariorum Schedis productæ, sed forte a Localis Asculi Curiæ Gubernatore huc missæ, cum præsertim ignoretur, quisnam amicus, an potius inimicus ipsimet Gubernatori eas tradidisset? Eoque magis, quod, ut fama refert, idem ille Localis Gubernator Doctor D. Josephus Antonius *Ricciotti* eidem D. Marcantonio, integræque ejus familiæ infensissimus, atque inimicus extiterat, sicuti ex legitimis documentis suo tempore perhibendis demonstrabitur: præterquam quod ipse idem Gubernator ridiculo pene vanitatis, atque ambitionis afflatu elatus videtur, cum in sua quadam responsiva epistola, quam Domino Judici, & nunc Regio Consiliario meritissimo D. Johanni ab Alexandro conscripsisse dicitur, sibi quædam nimis speciosa *sui soliti zelus* cognomina tribuerit.

SEd tandem, quænam sint hæ tam celebratæ scripturæ, ex quibus in hoc contumaciali judicio corpus delicti probari prætenditur, & quam probationis vim sibi harum unaquæque obtineat, dispiciendum. Inauditum etenim est prorsus in Foro, ut super hujuscemodi chartulis *forjudicationis* sententia firmari velit, atque ex his tam infirmis conjecturis hominis vita, libertas, atque fama in discrimen revocari.

Harum igitur prima (quinque etenim in M.C. exhibitæ dicuntur) est instantia quædam, sive supplex libellus in Locali Curia Asculi porrectus nomine actualium tunc temporis ejusdem Civitatis Ædilium, quam D. Marci Antonii *Andreaci*

dreaci manu conscriptam fuisse nullis aliis argumentis prætenditur, nisi vigore attestationis cujusdam Tabellionis post biennium confectæ. Sed quidnam hic Tabellio ad rem deponere dicitur? Nihil aliud, nisi scilicet, se bene D. Marcum Antonium *Andreaci* pernosse. Quid autem ad rem hæc depositio? Quidve proderat personam nosse ad characteris identitatem testandam? Nonne dilucide perspicitur, quam nimis proprio muneri hic defuit Tabellio? debuerat etenim non personam, sed characterem ipsius *Andreaci* cognoscere; si id nempe fieri poterat post non breve biennii spatium, quo elapso præfata attestatio fuit peracta. Secunda scriptura ejusdem naturæ ac supradicta habetur. Tres autem reliquæ sunt quædam prætensæ ejusdem *Andreaci* subscriptiones, qui tamquam testis in eisdem scripturis suum subscripsisse nomen adseritur: sed quomodo hæ quoque subscriptiones ejusdem *Andreaci* fuisse probantur? non aliter, nisi ob alias testationes ejusdem illius Tabellionis, qui etiam post biennii lapsum testari haud dubitavit, eas ejusdem *Andreaci* manu fuisse exaratas, ob eandem scilicet causam; quod ipse illum bene noverat. Sed quod magis in hac re mirum est, idem iste Tabellio, non solum *Andreaci* subscriptiones, sed & subscriptiones quamplurium aliorum testium pro certis adseverare post biennium ausus est, quia scilicet iidem illi testes ibi subscripti erant ipsi perquam bene cogniti. Oh probationes perquam dilucidas, atque perspicuas! Oh integrum, atque omni fide dignum Tabellionem, qui equidem inter integerrimos, atque omni suspicione majores non immerito est collocandus!

Hæ sunt omnino cunctæ, totæque in hoc judicio corporis delicti probationes, quas tanti pendere M. C. autumavit, ut per easdem contra hunc innoxium juvenem acerbissimam forjudicationis sententiam interminari minime dubitavit. Ecquis autem tam vecors, tamque suæ mentis impos potest inveniri, qui juris, legumque sanctionibus perpensis, atque pervolutis, non videat,

deat,

deat, hanc forjudicationis sententiam a M. C. minitatam nullum omnino locum sibi posse vindicare, ac proinde illico ab hoc contumaciali judicio esse supersedendum?

AD hanc etenim teterrimam sententiam proferendam, non utique conjecturæ, non indicia, atque argumenta, non denique ulla sufficit levis probatio, sed requiritur omnimode, ut reus sit de facinore perquam aperte convictus, illæque ipsæ luce clariores probationes huc debent concurrere, quales in mortis sententia proferenda desiderantur. Quid enim inter se forjudicatio, atque ultimum supplicium differunt, cum illa nempe sacrum hominem, in quem fertur, efficiat, proindeque cunctis ipsum necandi undique pateat libertas?

Quomodo igitur recte poterit infelix hic juvenis ad *forjudicationem* damnari, cum non solum de insimulato crimine non sit convictus, sed nequidem indiciatus dici possit? Quippe tota penitus probatio, quæ a comparatione ipsius *Andreaci* characteris dependet, nullius est momenti, utpote quæ omnino fallax debet existimari. Ita etenim omnes interpetres (*a*) hunc casum firmant, atque concludunt, quod quando scilicet producitur scriptura, quæ dicitur a *Cajo* scripta, & testes, qui non fuerunt præsentes cum scriberetur, examinantur, & deponunt, illam scripturam de manu *Cai* esse conscriptam, cujus manum notam habent, hoc casu comparatio ista nihil probat, & est ratio, quia facile possunt manus similitudine falli.

Hic prope est casus præsens, nam Notarius adfirmat, se nosse supradictam instantiam ab *Andreaci* esse conscriptam. Sed quid hac probatione fallacius, etiamsi recte peracta fuisset? Quidve charactere excogitari potest mutabilius? Hoc

[a] *Menoch. de arb. jud. cas. 114. num. 22. Ad. Aret. cons. 64., Afflict. decis. 181. in fin., qui sic decisum in S.C. refert, quod etiam refert, & Gramviat. decis. 84., Dec. cons. 615.. Zas. lib. 4. num. 7., & Joseph Ludovicus decis. 7. qui alios quamplures commemorat:*

Hoc valde Justinianus Imperator innuit (*a*), cum ait: *Literarum quidem dissimilitudinem sæpe tempus facit, non etenim ita scribit quis juvenis, & robustus, ac senex, & forte tremens: sæpe etiam languor hoc facit, & quidem hoc dicimus, quando calami, & atramenti immutatio similitudinis per omnia aufert puritatem*. Sic Justinianus. Experientia autem quotidie comparatum est, probationem hanc quæ fit per literarum comparationem nimis esse incertam, atque periculosam, cum multi reperiantur ita alterius characterem imitantes, ut nulla prope differentia internoscatur. Svetonius (*b*) testis est, Titum ita quæcumque vidisset chirographa imitari solitum fuisse, ut perquam difficillime aliquod notari poterat discrimen. Idem refert, & Zasius (*c*) de quodam Monacho, qui suo tempore vixerat. Non aliam igitur ob causam in ejusmodi probationibus innumeras cautiones, atque solemnitates jura requirunt; contenduntque in hac comparatione perficienda Judicem oculos lynceos habere opus esse. Sed hæc etiam omnino procedit dubietas, cum comparatio ista de jure, & juris ordine servato peragitur, ideoque Justinianus (*d*) probationem hanc in aliarum defectu reservavit, quid autem erit dicendum, cum comparatio supradicta absque solemnitatibus, quæ de jure requiruntur, facta sit?

Dictum est jam supra cujusmodi sint scripturæ, ex quibus in hoc judicio characteris comparatio peracta est; quinimo perspectum jam est, eas non solum publicas non esse, sed etiam fallaces admodum, atque suspectas videri. Quomodo igitur ex his ullam haberi posse probationem existimabitur, cum præcipue jura omnino requirant, comparationem hanc ex publicis, authenticisque scripturis esse conficiendam? Perspicua sane, nullaque

[a] *Novel.73. in præfat.*
[b] *Svet. in Tit. cap.5. in fin.*
[c] *Zas. lib.2. resp. cap.25.*
(d) *Dict. Novel.73. cap.7.*

que interpetratione indigens eſt Imperialis quædam Sanctio (*a*), ubi Juſtinianus ad hanc rem in hæc verba reſcribit : *Comparationes literarum ex chirographis fieri, & aliis inſtrumentis, quæ non ſunt publice confecta, ſatis, abundeque occaſionem erimini falſitatis dare, & in judiciis, & in contractibus manifeſtum eſt : ideoque ſancimus, non licere comparationes literarum ex chyrographis fieri, niſi trium teſtium habuerint ſubſcriptiones, ut prius literis eorum fides imponatur, & tunc ex hujuſmodi chartula jam probata comparatio fiat ; aliter enim comparationem fieri nullo concedimus modo, licet in ſemetipſum aliquis chartam conſcriptam proferat. Sed tantummodo ex forenſibus, vel publicis inſtrumentis, vel ex hujuſmodi chyrographis quæ numeravimus, comparationem trutinandam*. Huc uſque ad rem Juſtinianus. Quidquid addunt præterea interpetres, non tam ad confirmandam, quam ad ampliandam hanc juris diſpoſitionem vertitur. Bartolus enim hoc loci ultro contendit, ne quidem fieri poſſe comparationem ex ea ſcriptura, quam quis in judicio juſſu Judicis ſctipſerit. Bartolum ſequitur Zaſius (*b*) aliique, quos hic enumerare non eſt neceſſe. Quomodocumque enim se res habeat, illud equidem extra aleam poſitum eſt, quod cum aſſumuntur aliæ ſcripturæ ad hanc literarum comparationem perficiendam, hæ ſane ſcripturæ, ex quibus comparatio ſumitur, debent eſſe certæ, ac veræ illius, qui aſſeritur ſcripſiſſe ſcripturam contentioſam. Et hæc ſane certitudo, ut Juſtinianus ſupracitata *l. Sancimus*, & ut omnes conveniunt Interpetres, duobus modis habetur. Primo, ſi illæ ſcripturæ ſint publicorum inſtrumentorum ipſius manu conſcriptorum, ut innuunt illa ejuſdem legis verba : *ſed tantummodo ex forenſibus, vel publicis inſtrumentis*. Secundo habetur hæc certitudo, quando illæ ſcripturæ habent trium teſtium ſubſcriptiones, qui omnes affirment, & demum in judicio deponant, illas ſcripturas

(a(*Leg.*20. C. *de fid. inſtrum.*
[b] *Zaſ.* 2. *reſponſ.*25.

ras ab illo se præfentibus fuiffe confcriptas; atque ita ex verbis ejusdem illius legis ftatuitur, fcilicet: *Ideoque fancimus non licere comparationem literarum ex chirographis fieri, nifi trium teftium habuerint fubfcriptiones* (*a*).

NOn folum autem fcripturarum folemnia, ex quibus corpus delicti firmari prætenditur, in hoc judicio abfunt, ideoque minitata *forjudicationis* fententia nullo modo recte proferri poteft; fed modus etiam, quo comparatio prædicta fuit peracta, fatis, abundeque ejusdem ipfius fententiæ invaliditatem demonftrat. Jura etenim peculiariter requirunt, quod Periti, antequam ad comparationem deveniant, jurent omnino, quod comparationem faciunt, non lucri caufa, neque inimicitiis, aut aliqua gratia ftimulati, ut fancitum invenitur in eadem fupracitata Juftiniani Sanctione (*b*). Ibi: *Omnes comparationes non aliter fieri concedimus, nifi juramento antea præftito ab his, qui comparationem faciunt, quod neque lucri, neque inimicitiis, neque gratia tenti, hujufmodi faciant comparationem*. Ubi Bartolus, & Baldus, omnisque Interpretum multitudo docent, jusjurandum hoc effe necefsarium, & fi negligatur omnino comparationem effe nullam (*c*). Sed in comparatione characteris D. Marci Antonii *Andreaci*, quæ a M.C. facta eft, neglectum omnino fuit a Peritis, ut fama refert, hujusmodi jusjurandum, ergo nulla de jure habenda eft comparatio fupradicta, utpote quæ contra tam dilucidas legum difpofitiones fuit peracta.

Nec obftat quod Regens de Rofa (*d*) contendere videtur, cum obiter, & quafi ofcitanter teftatus eft, ftilum, feu potius ufum in M.C. inolevifse, quod tales fcilicet com-

(a) *Menoch. de arb. Jud. caf.* 114. *num.* 29. *Adde quæ fcripfit* Conftantinus *Harmenopolus in juris promptuario lib.* 1. *tit.* 9. *rub. de fchedis privatis: fed fufius fententiam hane probat, atque firmat Jofeph Ludovicus dec.* 7. *num.* 10.

[b] *L.* 20. *C. de fid. inftrum.*

(c) *Vid. glof. in L. fi quidem* C. *de excep.*

[d] *De Rofa Refol.* 13. *num.* 32.

parationes fieri sint solitæ per Magistros Actuarios absque jurisjurandi solemnitate; nam præterquod ipse solus novæ propemodum istius opinionis est auctor, adsertor, atque testis, nullumque penitus vestigium in Ritibus ipsius M. C., vel in Pragmaticis, ullave alia Municipalis Juris parte inveniatur; accedit præterea & illud, quod nulla potest praxis in Foro firmari, quæ directe comunis juris sanctionibus adversetur, ut equidem esset ista, quæ a laudato Regente de Rosa memoratur: nam quid aliud est, Magistros Actuarios sine jurisjurandi religione ad comparationem perficiendam accedere, nisi injuratis testibus fidem præstare? Et quid porro absurdius, quam in capitalibus judiciis testes injuratos admittere, et super eorundem fallacibus utplurimum dictis, alterius capitis discrimen fulcire? In his etenim comparationibus perficiendis Magistri Actuarii, atque id generis omnes, tantum ut testes peritissimi audiuntur, ut docet Clarissimus Vir, atque omni laude major Jacobus Cujacius (a) Nec sufficit, ut perperam præcitatus Regens de Rosa opinatur, quod isti in principio Officii jusjurandum præstaverint; hujusmodi etenim peritiæ non continentur sub generali clausola *de bene, ac fideliter suum munus administrando*: & hoc tantum locum habet in judicibus, nam absurdum sane foret, toties ipsos ad jusjurandum adstringi, quoties de qualibet controversia desinienda ageretur. At non eadem ista ratio locum sibi vindicat in Actuariis, Scriniariis, Præfectianis, Magisterianis, aliisque id generis literarum collatoribus, qui, ut dictum est, tantum ut testes in ejusmodi comparationibus perficiendis sunt habendi, & proinde prius jurare debent, se non sordide, nec insense, nec gratiose quidquam in illa comparatione admissuros, sed bona fide collaturos, & quod ipsis videretur Judici relaturos. Judex namque omnium peritissimus debet existimari, & ipse solus potest

(a) *Cujac. ad Leg. comparationes C. de fid. instrum.*

test ad hanc comparationem perficiendam accedere, ut docuit Baldus (a), aliique quamplures.

Sed, si quis exemplis hanc potius quæstionem definire exoptaverit, non erit abs re Medicorum, atque Chirurgorum comparatione rem definire, quos nemini dubium est, jurejurando adstringi, antequam ad aliquam peritiam de vulneribus, aut ictibus alicui inflictis perficiendam accedant. Quod utique exemplum omnino cum casu, de quo agitur collimare, atque eodem prope gressu ambulare videtur; nam sicuti Chirurgis de vulneribus inspiciendis, utpote hujusmodi in rebus perquam expertis, ita etiam Magistris Actuariis de characterum collatione, tamquam in hoc usu, & exercitatione perquam doctis, utplurimum peritia injungitur trutinanda. Et tamen nihil Medicis generale juramentum in laurea accipienda præstitum in ejusmodi peritiis prodest, sed omnino, ut dictum est, peculiare requiritur semper ab eis juramentum, alias etenim nullæ eorundem peritiæ existimantur. Quod & in Magistris Actuariis, & in aliis id generis literarum collatoribus eadem pene ratione locum sibi vindicare, satis dilucidum, atque perspicuum equidem est. Sed de hoc jam satis.

Illud nunc demum hic obiter addendum, quod, cum supradictæ legum Sanctiones in civilibus etiam causis procedant, quo magis sibi locum in capitalibus judiciis debent vindicare, in quibus non de tigno jungendo, neque de legato petendo, sed de vita, fama, fortunisque hominum plerumque agitur? Quæ cum sint omnibus carissima, cunctisque bonis preciosiora, quid tam ab humanitate sejunctum, quidve durius potest effingi, quam ut per hujusmodi invalidas probationes hominis vita in discrimen adducatur? Quid etenim literarum comparatione incertius, ubi leges innumeras cautiones, & solemnitates requirunt ad tam incertum, tamque periculosum experimentum perficiendum? Quapropter cum in hoc judi-

B 2 cio

[a] *Bald. in d. L. comparationem C. de fid. instrum.*

cio omnia juris solemnia in literarum comparatione longe lateque absint, nihilque aliud prope inveniatur, nisi perennis quædam incertitudo, ac dubietas, atque mirabilis juris & ordinis perturbatio, nescitur quid amplius obstet, quominus irrita jam facta *forjudicationis* sententiæ minitatione, tandem hic miserrimus D. Marcus Antonius *Andreaci* quam citissime sit ad suos Penates revocandus?

SEcunda Nullitas ex defectu probationis, quæ dicitur *in specie* originem sumit. Etiam si per idoneos testes, atque per tabulas de admisso facinore constitisset, hæc probatio nullo modo prorsus valeret, atque nullius esset momenti, nisi & illa etiam accederet, quæ *in specie* dicitur, & qua Judici innotescit quisnam admissi criminis fuerit auctor, atque patrator. Hinc colligere est, quod harum probationum altera sine alterius subsidio nihili pendet, & duarum altera per se ad aliquem damnandum nequidquam proficit. Sunt denique talis ambæ, atque ejusmodi naturæ, ut tunc demum alterius capiti, atque fortunis lugubres, & luctuosæ habeantur, si pariter aliquando conjunctæ videantur. Quæ cum ita sint, sufficere equidem deberent quæ admodum in superiori capite fuerunt memorata, utpote ex quibus dilucide procul dubio adparet probatum sane neutiquam fuisse, an suppositum falsitatis crimen vere fuerit admissum, nec ne. Ex qua equidem ratione promanat, quod cum ab hoc judicio duarum, quæ fuerunt supra memoratæ, probationum alteram longe, lateque abesse, sit demonstratum, omnimodo hanc ob causam miserrimus hic D. Marcus Antonius *Andreaci* ab insimulato crimine est absolvendus. Ideoque omnia, quæ hic ad rem adjungi poterunt, superflua atque inutilia essent existimanda. Sed quia non tantum illud hic agitur, ut nempe præfatus *Andreaci* a crimine absolvatur, sed etiam ut ejus innocentia omnibus, & singulis undique pateat, idcirco ut pro-

propositum obtineatur consilium, non abs re equidem erit singulas hic rationes recensere, ex quibus adpareat nullius esse penitus momenti in hoc judicio etiam probationem illam, quæ dicitur *in specie*, atque hunc proinde juvenem, innoxium omnino esse, insimulatique facinoris inscium, & ignarum.

Dictum est jam supra in præcedenti capite quid Regius Fiscus in hoc contumaciali judicio obtendat, & quam levia, atque inania sint fundamenta, super quibus tam atrocem, atque rigidam sententiam construere velit. Nunc ne alibi jam dicta huc repetantur, extra aleam haud erit mentis acumine perspicere, quomodonam per Regium Fiscum probetur, D. Priscum *la Fragola* scripturarum fasciculum, ut prætenditur, huic D. Marco-Antonio *Andreaci* tradidisse, & quibusnam testibus, aut argumentis demonstretur, in illo eodem fasciculo enunciatas Argentariæ Mensæ syngraphas extitisse, quas prædictus *Andreaci* in suos erogasse usus insimulatur. Quamobrem ante omnia ipsius capituli verba præ oculis habenda *: postquam illum* (idest fasciculum) *consignavit supradicto D. Marco-Antonio dixit, quod in eodem fasciculo complicatæ erant scripturæ prædictæ cum enunciatis duabus fidibus crediti, ascendentibus in dictam summam ducatorum 320. monens, quod accurate stetisset, illum penes se conservare, & statim pervento in hac Capitali consignavisset supradicto D. Matthæo ejus filio, sicut idem D. Marcus Antonius promisit facere.*

Ex his equidem Capituli verbis nullo prope modo adparet, an præfatus scripturarum fasciculus vere, & procul dubio prædicto *Andreaci* fuerit traditus, & an in eodem prætensæ Argentariæ Mensæ syngraphæ fuerint permixtæ? Quamobrem quomodonam id Regius Fiscus poterit unquam huic recte obtendere? Quis detulit, quis testis adest, quæque hujus traditionis probatio? Inficiari equidem non potest, quin in hujusmodi contumacialibus judiciis obscure satis cuncta in defensionibus agantur,

tur; idcirco nimirum, quia licitum nullo modo est acta percunctari, atque fiscalium probationum capita penitus præscire. Quod in hoc præsertim judicio accidit ob nimiam, vulgatamque Francisci *Jovene* hujus causæ Scribæ observantiam, atque inurbanitatem. Sed his tamen non obstantibus nil vetat, quominus ab ipsius Judicii circumstantiis, cujusnam ponderis atque generis sint fiscales probationes possit conjectari, quapropter haud erit ab hac causa alienum (nam & causæ magnitudo id maxime flagitat) quod ea, quæ magna jam adhibita diligentia, atque examine, præsciri unquam potuerunt, perpendantur, videaturque an ejusmodi sint momenti, ut recte super his forjudicationis sententia possit firmari.

Nulla alia igitur probatio prætensæ fasciculi traditionis pro parte Regii Fisci habetur, nisi, ut fertur, depositio ipsius principalis D.Prisci *la Fragola*, eundem scripturarum fasciculum D.Marco-Antonio *Andreaci* se tradidisse adserentis, in quo duæ enunciatæ existebant Syngraphæ; additque præterea, se nequidem eas ipsimet *Andreaci* ostendisse, ut equidem ad sui propriam cautionem facere debuisset. Quomodo igitur prætensæ Argentariæ Mensæ Syngraphæ repeti unquam ab *Andreaci* poterunt, quoties nullo legitimo modo constat, eas fuisse ipsimet *Andreaci* traditas? Et quo nunc modo probari unquam poterit, ipsum eas in proprios usus erogavisse, si penitus non adparet eas reapse accepisse? Et quis securos unquam Judices reddet, quod (etiamsi plane enunciatus fasciculus traditus *Andreaci* fuisset) prætensæ apocæ in ipsomet essent inclusæ? Fiscus adserit sic depositum fuisse ab ipso D. Prisco *la Fragola*. Sed quid ad rem talis depositio? Poterit ne pro concludenti probatione hujusmodi circumstantiæ haberi? Et ipsemet in proprio facto poterit fidem mereri, eamque scilicet fidem, quæ in judicio capitali valeat? Et hoc tam leve indicium, probatio ad legis sensum dici poterit? Ipse idem est in hoc judicio principalis offensus; & quamvis inceptam accusationem jam de-

deſeruiſſet, attamen nuſquam poterit pro integro fideli- que teſte haberi, ſemperque inter illos commumerabitur, quos leges peculiariter tamquam ſuſpectos nullo modo in judiciis capitalibus admittunt. Quippe nonnunquam hujuſmodi facta iracundiæ, atque indignationis nunnulla veſtigia in animis hominum utplurimum relinquunt. Sed eſto: pro integro fideliqne teſte habeatur ſane. Quid ergo? Ipſe idem unicus, atque ſolus ſuper hoc indicio deponit, ſemperque illud fuit exploratum, quod ad probationem cujuſcumque facinoris unius vox linguæ non ſufficit, neque ſolius Agentis verbis idem factum obiici- tur, & probatur: quomodo ergo hic fidem inveniet, quoties ex legum clariſſimis ubique diſpoſitionibus unus teſtis non eſt audiendus, *etiamſi præclaræ Curiæ honore perfulgeat* (a). Quod cum etiam locum habeat in cauſis civilibus, in quibus pecuniaria duntaxat jurgia definiun- tur, eo magis obſervari debet in criminalibus, in qui- bus de vita, atque fama alterius decernitur. Præterea eadem hæc legum Sanctio, & æquitate naturali robora- tur, & auctoritate Sacrarum Literarum (b) munitur, unde ſequitur, nequidem Principum Conſtitutionibus, qui legibus ſoluti ſunt, hoc immutari unquam poſſe: recteque a Sapientiſſimis viris jam reſponſum, ne Xe- nocrati quidem, Ariſtidi, aut Catoni, aut ſi qui inte- gritatis laude illuſtrior, credendum eſſe, ſi unicus fuerit in aliquo judicio teſtis.

SEd age nunc: ſingulæ quæ ſuperſunt probationes excu- tiantur. Dictum eſt jam ſupra, nuſquam probatum fuiſſe, D. Priſcum *la Fragola* ſcripturarum faſciculum *An- dreaci* tradidiſſe, & etiamſi tradiderit, extra dubium haud eſſe, an prætenſæ Argentariæ Menſæ Syngraphæ in illo fuerint inſertæ; videndum nunc quid eſſet ſtatuen- dum ſi conſtaret, eas vere prædictum *Andreaci* accepiſſe. Porro ne hoc quidem caſu ſequeretur, quod Syngraphæ fue-

(a) *L. jusjurandum 9. C. de teſtib. & L. Maritus 20. ff. de quæſt.*
[b] *Deut. 7. verſ. 6., & 19. verſ. 15.*

fuerint ab ipſo *Andreaci* in proprios uſus conversæ. Quis etenim adfirmavit, quisve Judicem inſtructum reddidit, ipſum *Andreaci* eas D. Matthæo *la Fragola* hic degenti non tradidiſſe, & ab hoc, ut patrem deluderet, characterem fictum non fuiſſe? Vel etiam ipſas Syngraphas prædicto *Andreaci* ſubreptas non fuiſſe, & ab alio inventas, eorumdem ſubſcriptiones non fuiſſe confictas? Sed hic excutienda Capituli verba: *Ibique perventus* (hanc Urbem intelligit) *vice conſignandi dictum faſciculum Scripturarum prædicto D. Matthæo la Fragola*, exiſtimavit *illum penes se tenere, & aperire ad finem furandi ambas dictas fides crediti prædictis D. Priſco, & D. Matthæo la Fragola, illaſque prævia falſitate expendere, & ſibi appropriare dictam ſummam*. En igitur quomodo intimæ hominum cogitationes pro indubitatis factis adferuntur. Verbum illud *exiſtimavit* ſatis cunctis demonſtrat qua certitudine, & qua animi fiducia omnia in hoc contumaciali judicio ſint peracta. Porro nequidem tanta cum ſecuritate hoc adfirmaretur, etiamſi quamplurimi adſtitiſſent teſtes, qui propriis oculis conſpexiſſent D. Marcum Antonium *Andreaci* ſcripturarum faſciculum aperientem, & Syngraphas ex eodem ſubtrahentem, publice ſuum evulgaſſe propoſitum, velle illas nempe in proprios uſus convertere: cum econtra nec teſtis ullus, neque ulla alia de hoc judiciaria exiſtat probatio. Quapropter illud ſane pro certo nunc habendum, omnia quæcunque conſpiciuntur in eodem Capitulo ſomnia, atque delirationes, nullis prorſus probationibus, atque argumentis, ac ne ſuſpicionibus quidem fulciri.

Sed quæ ſequuntur Capituli verba nunc perpendenda: *Dictus D. Marcus Antonius Andreaci in ambas dictas fides crediti fecit, & ſcripſit temere, & doloſe ejus manu, ac charactere giratas falſas ſub nomine, & cognomine præfati D. Matthæi ſcilicet &c. procurans imitare verum illius characterem*. Hæc omnia, quæ hic enunciantur nulla equidem alia probatione nituntur, quam illa, quæ ex ſupra jam enunciata at-

atque examinata characteris comparatione haberi potest. Sed de hac jam ad fastidium usque supra peractum est; perspectumque, quam irregulariter, atque contra juris ordinem fuerit executa. Nam cæterum ex nullis hoc potest testibus probari. Ubi enim sunt, aut esse poterunt, qui hujusmodi somniis pondus aliquod addere ullo modo possint? Quinimmo cum in Capitulo dicatur, quod *fecit, & scripsit temere, & dolose*, & inferius: *procurans imitare verum illius characterem*, hoc directe omnino adversari videtur his, quæ in characteris comparatione observata fuisse dicuntur: quippe, si verum, & indubitatum foret, hunc *Andreaci* characterem D. Matthæi la *Fragola* imitari conatum fuisse, hoc equidem casu suum proprium characterem ita deformare debuisset, ut nullo modo a Peritis recognosci postea potuisset; & quamvis illa subscriptio vestigium aliquod characteris ejusdem *Andreaci* servavisset, attamen quia, ut Fiscus obtendit, ad imitandam alterius manum, character fuerat deformatus, procul dubio Periti, qui ad comparationem accesserunt, animadvertere hanc deformationem debuissent, & super hac tam considerabili circumstantia suum judicium deponere. Isti autem de hac nihil adjiciunt, quamquam tam necessario, tamque perspicue hæc adulteratio adparere debuisset; eoque magis, quod ipse D. Matthæus la *Fragola* (ut ajunt) cum eidem Argentariæ Mensæ apocæ fuissent ostensæ, deposuit suum ipsius characterem bene porro fuisse imitatum, atque confictum. Quamobrem, cum Regius Fiscus obtendat, quod D. Marcus Antonius *Andreaci* characterem D. Matthæi la *Fragola* imitari conatus fuerit; & cum (ut supra dictum est) alterius character imitari nullo modo possit, nisi proprius compellatur, atque deformetur; illud consequitur, quod deformatio hæc perspicue sane conspicientibus adparere debuisset, & longe melius illam Periti supradicti debuissent animadvertere, atque recognoscere. Cum autem de hac ipsimet in suis depositionibus nusquam fuerint locuti, illud equidem extra dubitationis aleam posi-

positum est, quod cuncta Periti supradicti in comparatione perficienda (utpote qui injurati ad eam accesserunt) sine religione, atque debita rectitudine peregerunt, ac proinde omnia quæ illic enunciantur, longe lateque a vero aberrare.

Quæ cum ita sint, id potius probabilius, atque facilius videtur, ipsum D.Matthæum la *Fragola* suum proprium characterem deformasse, ut sibi pecuniam omnem vindicaret, patremque deciperet, illud nempe ajendo, quod alius suam subscriptionem effinxisset, ac proinde pecuniam ex Argentaria Mensa extraxisset. Quod a verisimili nequaquam aberrare videtur, si ipsius ætas, atque circumstantiæ perpendantur. Quid etenim adolescentia, quid effrænæ cupiditates in hac tam deliciosa Urbe, atque diviti in hominum animis non possunt? Imberbis ille adhuc adolescens, filius familias, atque ex propriis Penatibus disjunctus facile indomitis poterat vesanisque cupiditatibus obsequi, quarum illecebris senescentis ætatis consilium, atque gelida canities solet etiam ut plurimum blandiri.

Aliæ nunc quæ sequuntur circumstantiæ excutiendæ. En quomodo sese habent Capituli verba, respectu unius ex prætensis corruptis syngraphis, illius nempe ducatorum *quinquaginta*: *Et factis dictis falsis giratis, quia nequibat dictus D. Marcus Antonius Andreaci expendere citatas duas fides crediti in prædictis Bancis Sancti Eligii, & Spiritus Sancti, quia tunc erant dies feriati in Curia, & dictus D. Priscus in giratis prædictis posuerit enunciatam conditionem ne solverentur ante diem octavum dicti mensis; eapropter citatus D.Marcus Antonius erga diem quintum, aut sextum dicti mensis Augusti se contulit in domo lusoria nuncupata* del bigliardo della galera, *sita in platea* nominata di Nardones, *ubi sistebat D.Johannes Zunica Tenens Coronellus Serenissimi Principis Hispaniarum D. Philippi, commorans prævio permissu in hac Capitale, cui exhibuit subscriptam fidem crediti ducatorum quinquaginta, petens, ut illam com-*

mu-

mutasset in pecunia numerata, quia currebant dies feriati: & stante quod ipse D. Johannes cognoscebat dictum D. Marcum Antonium Andreaci, & audiverat dicere in variis conversationibus esse eundem, hominem probum Civitatis Asculi, non habuit difficultatem commutandi dictam fidem crediti in tantas uncias sicilianas, quas tunc habebat super ejus personam. Ex allatis Capituli verbis existimabit forsitan aliquis, quod de hoc facto concludens quædam sane probatio pro parte Regii Fisci habeatur, & quod omnia supra jam enunciata a nonnullis forte oculatis testibus fuerint confirmata; sed quantum præsentiri unquam potuit, omnis quæ huc adducitur probatio, ad actum seu attestationem quandam a causæ Scriba confectam restringitur, in qua a supradicto Scriba adseritur, se apud enunciatum D. Johannem *Zunica* Vice-Tribunum Serenissimi Regalis Principis Hispaniarum, & Parmensis Ducis se contulisse, atque ex ore ejusdem *Zunica* hujusmodi factum ipsimet fuisse narratum. Perspicuam sane, atque minime dubiam probationem! Et quomodo unquam poteris substineri, simplice Scribæ dictum ad probandum hujusmodi factum sufficere? Ecquis nescit, quod *testibus, & non testimoniis credendum* (a)? Cum nec unquam cuicumque vel dignissimo, atque integerrimo testi creditur, nisi ipsemet antea jusjurandum præstiterit? quod cum a Constantino jam fuisset sancitum (b), fuit etiam peculiariter inde a Justiniano confirmatum (c). Quæ omnia tunc sibi porro locum vindicarent, si præfatus Vice-Tribunus sua sub-

[a] *L. idem Divus 28. ff. de Testib.*

[2] *Jusjurandi religione testes priusquam perhibeant testimonium, jamdudum arctari praecipimus. L. 9. C. de Testib.*

[c] *Nec audiantur nisi quinque testes idonei, & summæ, atque integræ opinionis præsto fuerint solutioni celebratæ, hique cum sacramenti religione deposuerint, sub præsentia sua debitum fuisse solutum L. 18. C. de testib.*

Adde clarissimi viri Antonii Matthei auctoritatem, qui ad rem sic loquitur: *porro antequam testes testimonium dicant, jurare de veritate dicenda debent, nec injuriatis creditur. Matth. ad Lib. 48. Digest. tit. 15. Cap. 4. num. 6.*

subscripsisset manu illam, de qua agitur, attestationem; hoc etenim casu esset objiciendum, quod *testibus*, & non *testimoniis* credendum. Sed longe aliter se res habet; attestatio etenim supradicta ne quidem a præfato Vice-Tribuno videtur subscripta; sed tantum a causæ Scriba tanquam delatore eorum quæ audierat est exarata, quod quidem, ut neminem fugit, nullum penitus indicium efficit, sed tantum viam Judici ad inquirendum aperit. Præterquamquod, cum unicus hic sit omnino testis, etiam si ipse deposuisset, atque jusjurandum præstitisset, nequidem hoc casu indicium ad quæstionem habendam faceret, ut constitutum ex comunis juris sanctionibus invenitur (a) Concludendum igitur, nihil penitus hanc Scribæ attestationem ad hoc factum probandum proficere.

QUapropter videndum nunc, quænam alia probatio respectu alterius apocæ ducatorum *biscentum septuaginta* habeatur. Igitur ante omnia Capituli verba erunt perscrutanda: *Cum præfatus D. Marcus Antonius Andreace se contulisset in posto Josephi Caleca permutatoris monetarum sito in platea nominata* di S.Maria della Nova, *exhibuit eidem Josepho Caleca enunciatam aliam fidem crediti ducatorum biscentum septuaginta, & ait eandem illi misisse D. Vincentius Bruni filius Illustris Ducis Casalis Fractæ parvæ ad finem permutandi: & permanens in dicto posto Gratia Caleca mulier literata filia enunciati Josephi &c.* In arduis cunctanter, & sensim, ut adagium vetus est. Autumat fortè Regius Fiscus, proculdubio, illum qui ad syngrapham commutandam accessit, D. Marcum Antonium *Andreaci* fuisse; cum potius illud facillius videatur, quod Capituli auctor tanquam pro minime dubiis suspiciones penitus longinquas commonstrare voluerit. Et porro quidquid ex abditis actorum præsciri usquam in hoc contumaciali judicio licuit, omnis penitus probatio tantummodo restrin-

gi-

(a) *Cum, unico teste producto, de ancilla habita fuisset quæstio, illicite habitam Imperator pronunciavit L. maritus 20. ff. de quæstion.*

gitur ad quasdam Josephi, & Gratiæ *Caleca* patris, & filiæ depositiones, cui Gratiæ nescitur quam ob causam præclarum literatæ cognomentum adjicitur, ex eo forsitan, quia scribendi artem callebat. Sed quid sodes hæ depositiones probant contra D. Marcum Antonium *Andreaci*? Cognitus erat hic forsitan illis? Aut sciebant quisnam ille esset, cujusnam Civitatis fuisset, aut in qua Urbis hujus parte degeret? aut potius aliquis fide dignus ipsos hujusce conditionem docuerat? Nihil horum penitus: ipsi nihil aliud adfirmant nisi quod syngrapha ducatorum biscentum septuaginta fuerit eisdem *a quodam homine* exhibita; sed eorum proprio vernaculo sermone excutiantur voces: *mi fu esibita* (de syngrapha loquitur) *da un uomo giovine ben vestito, con perucca in testa, e spada a lato, che vedendo forse riconoscerei*. Sic ipsi testes pater, & filia se deposuisse vulgavere: fides sit penes ipsos, si aliter se res habeat; sed nunc ità se rem habere credidisse prodest. Quapropter super hujusmodi haud inverisimili suppositione hic animadvertendi occasio præbetur, illum scilicet hominem illiusmodi cultu instructum, coma scilicet adscititia, & ense præcinctum, quemcumque fere alium, quam ipsum *Andreaci* esse potuisse: hoc etenim ornatu cuncti propemodum innumerabiles hujus Urbis Cives utuntur quotidie; atque hodiernis moribus, in quibus plane illud occinere Satyrici non erit abs re: *comune id vitium est: hic vivimus ambitiosa paupertate omnes*, (a) etiam fabri, sutores, cunctique fere hujus generis humiliores artifices habitu, cultuque corporis nihil utplurimum illis impares inambulare solent, qui & nominis fama, & Majorum imaginibus, & divitiis denique illustriores habentur. Ex quibus equidem adparet, nequaquam ex testium verbis constare, juvenem illum bene ornatum hunc miserum *Andreaci* potius quam alium quemcumque esse potuisse.

C Quod

[a] *Juven. Sat. 3.*

Quod si & ulteriora perpendantur ipsorum verba, nimirum, *quod illum juvenem revisuri forsitan eum recognoscerent*, nonne satis, abundeque habetur, ipsos illum penitus non nosse, & revisuros non sine magna quadam hæsitatione eundem fore agnituros? Verbum illud *forsitan* nonne utique illorum ambiguitatem, atque incertitudinem perspicue nimis ostendit? Quo equidem casu quanam veritatis religione potest unquam Fiscus ipsi *Andreaci* hoc facinus obtendere, quoties nullus testis ipsum cognovisse deposuit? Et plane semper eadem hac incertitudine in hoc judicio laborabitur, nisi prius legitima fiat inter eundem, aliosque sui consimiles a testibus recognitio, prout usus Fori, atque Praxis in hujusmodi casibus omnino fieri flagitat. Antequam igitur ad talem deveniatur recognitionem, quomodo poterit absque nota manifestæ propemodum injuriæ, *forjudicationis* sententia promulgari; quod fere idem est, ac ultimi pœnam irrogare supplicii; ubi nulla alia adfertur probatio, quam incertissima quædam, & quæ vix indiciariæ nomen mereri videtur? Nam nec vere tunc indiciaria diceretur probatio: indicia quippe ut bene probata dicantur, oportet, ut a duobus omni exceptione majoribus testibus deponantur: atqui hoc casu ab homine, & a muliere hæc circumstantia fuit relata, non bene potest igitur probata dici, cum nunquam mulieres convictivam probationem faciant, etiam si mille deposuisse dicantur.

SEd, ut ad propositum redeatur; si forte infelix hic D. Marcus Antonius *Andreaci* defessus jam, atque defatigatus per longinqua, atque devia amplius itinera vagandi, & cupiens se, suamque innocentiam ab hac injusta accusatione purgare, ultro se in Magnæ Curiæ Tribunali offerret, ibique cum ad judiciarium cursum procederetur, & supradicta fieret ipsius inter Consimiles legitima comparatio, ipse penitus a supradictis testibus non recognosceretur, quid amplius de hujusmodi judicii exitu erit eidem timendum? Nonne continuo to-

totum hoc capitale judicium per seipsum omnino rueret, ideoque ob probationum defectum, ad liberationem, quæ dicitur in *forma*, erit procul dubio deveniendum? Et si ad hujus Rei instantiam nova perinde characteris fieri deberet comparatio, aliique peritiores collatores, cum literarum dissimilitudinem, & characteris differentiam diligentius aliquantulum animadverterent, & jurisjurandi religione adstricti, deponerent tandem, prætensas apocharum subscriptiones nullo modo a D. Marco Antonio *Andreaci* conscriptas fuisse, nonne tota hæc judiciaria informatio illico procul dubio vanesceret, ac proinde miserrimus hic hujus insimulati criminis innoxius continuo adpareret? Quo equidem casu tota actorum moles, quæ contra hunc ipsum ex nimia Scribæ sedulitate fuit conglutinata, esset potius, ut fomes fumoso tradenda camino, quam ut regularis publici, capitalisque judicii processus existimanda.

QUapropter donec liquide, & absque omni dubitatione clarescat, ignotum illum hominem, qui ad syngrapham commutandam accessit, hunc D. Marcum Antonium *Andreaci* fuisse, nunquam poterit hic recte tanquam auctor prætensarum subscriptionum nequidem per suspicionem haberi. Imo etiamsi convictiva hic adesset probatio, quod eidem prætensæ Syngraphæ fuissent traditæ, (quæ scilicet probatio, ut dictum est longe abest.) nequidem etiam tunc illud certo haberetur, ipsum eas, ut prætenditur, commutasse. Idque præsertim ex hoc argumento, quod eidem minime opus erat ulla se falsitate ad pecuniam percipiendam uti, utpote qui ex diviti, atque opulenta nimis familia erat prognatus, ac proinde nullo modo alienis substantiis egebat; ex quo consequitur, quod benigniorem in factis opinionem sectando, (ut ubique jura faciendum esse docent) tunc illud potius esset existimandum, quod ipse prætensas deperdidisset syngraphas, quæ ab alio postea inventæ, fuissent proinde istius nomine commutatæ. Igitur præter alias innumeras probatio-

nes, quæ in hoc judicio desiderantur, deficit & causa criminis (a), quæ non utique exilis, parvique ponderis, sed ex indiciariis probationibus facile maxima usque adhuc fuit habita. Et porro nemo per libidinem, atque oblectamentum ad atrocia unquam devenisse crimina præsumitur, nisi prius maxima, ac prope incredibilis quædam probetur hominis improbitas, ut de audacia illius L. Veratii hominis egregie improbi memoria proditum est (b), qui ob delectamentum os hominis liberi colapho percutiebat, & postea a servo XXV. asses eidem numerari jubebat, quæ erat colaphi pæna ex Legibus XII. Tabularum constituta. Quæ quidem improbitas facile non est in quoquo homine præsumenda; & etiamsi præsumatur, ad illa tamen crimina, quæ probri, atque infamiæ notam inurunt (inter quæ falsi crimen maxime adnumeratur), nunquam aliquem impellere posse credendum est. Exploratum idcirco satis habendum est, hunc per oblectamentum ad falsitatis crimen perpetrandum se inducere nullo modo potuisse. Quam igitur ob causam suum ad hoc induxisse animum insimulabitur? Inopia forsitan aut egestate? Atqui paululum ante jam dictum, quod hic opulenta nimis ex familia ortus, amantissimo sui patre, atque minime avaro dotatus, minima penitus rei familiaris egestate laborabat. Nulla etenim alia in Asculana Civitate familia, ut fama est, tantum facultatibus, atque possessionibus abundat, ut istius divitiis, atque opibus ullo modo possit æquiparari. Quod confirmatum porro videtur ex his, quæ deinde ab hujus patre, atque patruo non multo postea fuerunt peracta. Ut etenim D. Ciriacus *Andreaci* ejus pater, & patruus D. Vitus duram nimis atque atrocem istius criminationem senserunt, continuo, ne miserrimus hic adolescens falsificus syngrapharum corruptor contumeliose nimis diceretur, integram ter-

(a) *Sic vita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe, atque emolumento accedere. Cic. pro Rosc. Amer.*

(b) *Gel. L. 20. Cap. 1.*

tercentum, & viginti aureorum vim ipsi D. Prisco la *Fragola* numeraverunt, licet certo scirent, nullam penitus probationem de hoc insimulato crimine existere. Quod quidem nullam aliam ob causam fuit peractum, nisi scilicet, ut cognosceretur, neminem unquam ex ipsorum familia pecuniæ inopia laboravisse.

At quia nonnulli ex hac spontanea solutione contra hunc miserum reitatis argumentum retrahere velle videntur, nihili pendentes, quod alienum factum nunquam ignaro cuique potest obesse; idcirco operæ pretium erit perpauca hic ad hujus capitis finem adjicere, ne ulla unquam possit contra eundem suspicionis umbra penitus superesse. Huic igitur minime solutionem prædictam existimabitur nocuisse, simul ut consideretur, eam a suis amantissimis conjunctis ipso penitus inscio fuisse factam, qui ex metu judiciariæ inquisitionis præter modum conterriti remanserunt. Quapropter continuo omni qua potuerunt alacritate curaverunt, ut D. Prisci la *Fragola* questus pacarentur, atque penitus conquiescerent. Quæ quidem summa horum hominum integritas, atque honestas magni debet absque dubio pensari; nam cum sit meticulosa nimis res ire ad judicem, ut alibi dictum est; & nonnunquam id non sine magna famæ, atque fortunarum jactura soleat evenire, quid mirum si pater nimium hujus nati studiosus, atque sollicitus, eundem ab injusta hac vexatione relevare conatus sit? Ut igitur incertum hujus facti rumorem sensiit, ignarus, an unicus hic ipsius natus, atque hæres aliqua acerbissimi fati inclementia forsitan vectus, ab avita ingenuitate, atque virtute deflexisset, an potius inane murmur, & mendax omnino sermo fuisset; provide nimis, atque consulto id illico facere cogitavit, quod prudens quisque, atque honestissimus paterfamilias in hujusmodi casibus procul dubio peregisset. Fama erat, D. Priscum la *Fragola*, (ut ipse preseferebat) huic D. Marco Antonio *Andreaci* duas enunciatas syngraphas tradidisse, quas nonnulli ab eodem in

 itinere

itinere deperditas fuisse dictitabant . Deterrimus autem quisque, non quidem deperditas, sed corruptas, atque exinde commutatas ab ipso suspicabatur. Vagus primum atque incertus rumor, mox credula fama inter infensos, atque gaudentes percrebuit, itaut interea, quomodocumque se res haberet, aut syngraphæ deperditæ potius fuissent, aut corruptæ, atque exinde commutatæ, ut infensus quisque dictitabat, infelix hujus adolescentuli pater semetipsum ad hanc pecuniam persolvendam omnino adstrictum autumavit.

Quæ cum ita sint, cumque nimis, ut dictum est, vulgatum sit illud, quod alienum factum non potest inscio cuique nocere, quis amplius obtendet, enunciatam solutionem ullo modo huic obesse debere? Cumque ipsius conjuncti pacatam omnino vitam vivere cupientes, id multifarie obtinere pertentassent, quomodo supradicta solutio ab eisdem peracta, poterit huic unquam nocere, qui etiam si ipse illam perfecisset, nec ideo ex eadem ullo modo teneretur?

Hujusmodi penitus sunt potiores, quæ ex actis habentur probationes, ut ex capituli inspectione potest retrahi: quidquid amplius in eisdem conscriptum invenitur, atque ex auctoris diligentia elucubratum, potius ipsius facultatem, atque habilitatem ostendit, quam probationem aliam in hunc miserum insimulatum concludat. Quæ igitur hactenus dicta sunt ad probationum defectum in hoc *Contumaciali* judicio demonstrandum sufficiant; neminem etenim fugit, urgentissimas requiri probationes ad absentes inauditos damnandos, eosque a naturali defensionis jure demovendos.

Actum jam supra de corporis delicti defectu; characteris etenim comparatio ab injuratis Peritis, atque super incertis admodum scripturis contra legum dispositionem fuit peracta: deficit præterea probatio, quæ dicitur in specie, cum homo ille, qui se ad commutandas apochas contulit, cognitus omnino a testibus non fuit, ut satis abun-

de

de ſupra jam dictum eſt : quin imo, ut etiam memoratum, cauſa criminis penitus deeſt : hic enim adoleſcens ex diviti, familia genitus aliena pecunia neutiquam egebat. Quid igitur concludendum ? Aut factum totum hoc fictitium equidem, atque commentitium eſt, & nunquam hic tales ſyngraphas a D. Priſco la *Fragola* recepit; aut plane ſi recepit, eas abſque dubio deperdidit, quæ poſtea ab alio inventæ, corruptæ deinde fuerunt, & poſtea in illius uſum converſæ.

QUapropter quomodo recte poterit contra hunc miſerum innoxium ad *forjudicationis* ſententiam deveniri abſque legitimis probationibus, atque urgentiſſimis indiciis, quæ in hujuſmodi judiciis deſiderantur ? *Forjudicationis* etenim, & mortis ſententiæ pari prope greſſu ambulant, ac proinde illæ ipſæ luce clariores probationes (*a*) in *contumacialibus* judiciis, ac in mortis ſententia proferenda deſiderantur. Quin imo in hoc judicio, majores, atque evidentiores probationes requiruntur, nam *forjudicationis* ſententia *abreviato anni circulo* fuit huic miſero minitata; quo equidem caſu non ſufficiunt urgentiſſima indicia, quæ de jure municipali ordinarie ad *forjudicationem* deſiderantur (*b*) ; ſed requiruntur illæ omnino probationes, quæ ad mortis ſententiam promulgandam ſufficerent, ſi reus forte fuerit præſens ; prout deciſum a Collaterali Conſilio invenitur (*c*) ſuper interpetratione Pragmaticæ IX., atque XII. ſub titulo *de exulibus*.

Cum igitur ita ſe res habeat, quis tam hebetis ingenii poteſt inveniri, qui de hoc miſero adoleſcente protinus revocando fluctuet adhuc, atque hæreat ? Non immerito

igitur

[a] *L. ſciant cuncti ult.C. de probat.. Probationem autem faciunt apertiſſima rerum argumenta L. 3. §. 4. ff. de ſuſpect. tut.*, *evidentia L. 34.* C. *ad L. Jul. de adult. evidentiſſimæ, & manifeſtæ probationes L. 34. §. 3. ff. de legatis 1.*, *L. 14. in fin. C. de contrahenda ſtipulatione. Vide Dyoniſ. Gothof. ad dictum L. Sciant cuncti.*

[b] *Pragm. 37. de offic. mag. iuſtit.*, *ubi Rovit. num. 143.*, Capyc. *lat. deciſ. 161. num. 13.*, *& conſ. 136. aliique.*

(c) *Luc. ad de Franch. deciſ.* 688. *num. 9.*

igitur ipsius conjuncti sperant, Magnæ Curiæ Tribunal, perspecta jam ipsius innocentia, justam, meritamque absolutionis sententiam esse prolaturum.

TErtia Nullitas ex qualitate prætensi criminis dependet. Longe abeant sane ab hac insigni, & ab alia omni quacumque bene constituta Civitate illa cuncta Stoicorum somnia, atque delirationes, qui oscitanter potius, ut credendum, docebant omnia delicta inter se esse paria; ac proinde idem esse, si alicujus libido in ignota virgine, cum qua stuprum non committitur, (*a*) lapsa sit, ac si petulans in aliqua nobili virgine irrepserit, nihilque penitus interesse patrem quis enecet, an servum. Quæ quidem, mirabile est sane dictu, qua animi constantia fuerint olim a sapientissimis Philosophis disputata; & Socratem ipsum, omnium sapientissimum ex Oraculi auctoritate habitum, hujusmodi nugas, futilesque ineptias docere nil puduit. Et sane non aliunde istiusmodi fabellarum inanitas tam perspicue, atque luculenter redargui potest, nisi ex tertio Marci Tullii Paradoxo, in quo, quæcumque fuerit eximia illius hominis facultas, ad illas tamen suadendas minime valuit. Ipse sibi effingit, nihil penitus tantum ad deterrendos a criminibus hominum animos prodesse, quam si senserint nullum in delictis esse discrimen. Quo equidem casu quonam relinquetur distributiva illa justitia in bene constituta Republica tam necessaria, quæ in tribuendis bonis, vel malis proportionem ubique, quæ dicitur geometrica (*b*), observare omnino debet? Longe equidem melius cecinit olim (*c*) lepidus ille Venusinus ho-

(a) *L. 3. D. de Concub.*

[b] *Geometrica proportio est, cum gradus, sexus, & conditio hominum perspicitur, & cui plus debetur, plus arbitrio judicis tribuatur. Vid. Arist. Eth. ad Nicom. V. 2.*

(c) *Nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet, idemque*
Qui teneros caules alieni infregerit horti,
Et qui nocturnus divum sacra legerit. Adsit
Regula: peccatis, quæ pœnas irroget æquas,
Ne scutica dignum, horribili sectere flagello.
Horat. serm. 1. 3.

homuncio, & satis mirum quam rectius, atque prudentius Epicureus ille vates, & parcus Deorum cultor Socrate ipso, cunctisque stoicæ Philosophiæ sectatoribus disputaverit. Quid enim absurdius potest unquam excogitari, quam idem esse crimen, si privato, ac si Magistratui quis manus inferat; eandemque esse petulantiam, si cum prostituta muliercula, ac si cum ingenuo puero libidinem expleverit? Et porro non temere quondam Poetæ fictis fabulis docuerunt, cœlicolam illam, santamque Astræam æquam usque lancem manibus gerentem, præmia, pœnasque ubicumque merentibus metiri; cunctis scilicet sub hujusmodi figmentis ostendentes, quam necessario debeant in pœnis, præmiisque infligendis criminum, vel meritorum gradus, ac circumstantiæ præ oculis haberi.

QUapropter non criminum tantum, sed & personarum, atque circumstantiarum habenda ratio: nec etenim eadem sumitur pœna ab eo, quem cognatio, ætas, officium, dignitas a flagitio revocare debuisset, quam ab estraneo, adolescente, stupido, nulloque speciali vinculo adstricto. Ita si personæ in dignitate costitutæ, vel ipsi Magistratui illata fuerit injuria, quis dubitabit, eandem severius vindicandam, quam si quis vulgaris, ignotusque proletarius contumeliose habitus sit? Quin imo si crimen est privati res lucrifaciendi animo contrectare, quanto magis peculatum admittere, vel sacrilegio sese polluere? Denique acrius puniri (a) jura sanxerunt militis desertionem, si ex statione se proripuit, quam si ex hibernis aufugerit castris. Itaque, ne in singulis numerandis pœnarum rationibus tempus hic proteratur, nullus tam efferus, atque barbarus invenietur unquam populus, qui relligiosissima propemodum observantia proportionem hanc in pœnis infigendis non probet. In quo equidem longe melius, quam alii excelluerunt Romani; cum etenim superbus ille populus sibi Justitiam, tanquam peculiarem virtutem adrogaret, cumque nemo alicui justus unquam possit

[a] *L. 2. §. 5. D. de re mil.*

possit videri, nisi & pœnarum, & præmiorum gradus in Reipublicæ gubernaculo metiatur, nil mirum, si tam religioso, atque observanti cultu in cunctis adimplendis Justitiæ muneribus cæteris quibuscumque populis præstare conati sunt.

Ex quo fit, quod in fragmentis illorum Jurisprudentiæ, quæ posteritati remanserunt, Romani Jurisconsulti ubique tam frequenter commemorant, *ne quid aut durius, aut remissius constituatur, quam causa deposcit* (a), *itaut in utroque modo rationem non excedat* (b); *sed pro qualitate personæ, proque rei conditione, & temporis, & ætatis, & sexus, vel severius, vel clementius statuendum* (c): *peccata igitur suas teneant auctores, nec ulterius progrediatur metus, quam inveniatur delictum* (d); & alia innumerabilia hujuscemodi monita, quæ ubique juris Codices pervolventibus obviam præseferunt (e).

Ante omnia igitur Judici in pœnis infligendis criminis ratio, atque circumstantiæ sunt perquam diligenter perspiciendæ, videndumque inscitia, impetu, aut casu, vel potius proposito, atque dolo admissum sit. Quæ omnia hic breviter de prætenso D. Marci Antonii *Andreaci* crimine [licet fictitium totum esse satis sit demonstratum] perpendenda se præbent. In primis igitur videndum, an obtentum falsitatis facinus in se tale sit, ut etiamsi vera fuisset criminatio, recte possit illius auctor statutaria falsitatis pœna puniri.

Undique omnes conveniunt Jurisconsulti, & Interpetres, quod tria præcipue requiruntur, ut vere falsitatis crimen admissum fuisse dicatur; veri scilicet immutatio, damnum alterius, atque dolus. Nam sine veri immutatione, falsitas

(a) *L. perspiciendum* 11. *D. de pæn.*
(b) *L. hodie* 13. *eod.*
(c) *L. Sacrilegii* 6. D. *ad l. Jul. pecul.*
[d] *L. Sancimus C. de pæn.*
[e] *L.* 16. *D. de pæn.*, *l.* 1. *D. de jur. patron.*, *l.* 3. C. *de Epis. Audit. l. servos* C. *ad leg. Jul. de vi pub. &c.*

sitas nunquam procedit, si absit dolus, crimen utique dici nequit, sin autem alterius damnum non sequatur, plecti equidem non potest. His positis fingatur paulisper (sed absque ullo praejudicio causae veritati inferendo), ita, ut Regius Fiscus obtendit se rem habere, ut scilicet videatur, an praedictae falsitatis qualitates in ficta criminatione inveniantur. Quo ad primam attinet, improprie veri immutationem (etiam ut Fiscus obtendit) in insimulato facinore adfuisse dicitur; non etenim fuit argentaria syngrapha unquam corrupta, nec ullo modo quantitas debitae pecuniae immutata; sed tantum (ut praetenditur) alterius character fuit imitatus: subscriptio nempe cujusdam amici, qui erat ei cunctis familiaritatis vinculis adstrictus, conficta insimulatur ab imperito, atque inscio adolescente; qui id sibi licitum forsitan existimans, innocenter, atque bona fide id forte peregit, ut cum animo protinus restituendi, sodalis sui pecunia brevi propemodum tempore uteretur. Et porro quid saepius, aut frequentius accidere solet, quam ut amici amicorum opibus propriis occurrant necessitatibus, dummodo id sine alienarum fortunarum jactura eveniat? Improprie igitur veri immutatio in obtento falsitatis crimine dicitur adfuisse; sed etiamsi aliqua materialis adfuerit in facto (quod Fiscus praetendit) veri immutatio, damnum equidem alterius ex ea numquam dici potest, fuisse secutum.

Satis abunde alibi jam dictum est, quomodo D. Marci Antonii *Andreaci* pater & patruus se gesserint, intellecto jam hujus facti incerto quolibet rumore; protinus etenim illi, inscio adhuc hoc misero,& innoxio adolescente, pecuniam omnem, quae deperdita existimabatur, D.Matthaeo la *Fragola* ex suis opibus persolvendam autumaverunt; ne scilicet falsus ille rumor,qui jam satis adoleverat,ex conquerentium lacrymis glisceretur. En igitur, quod ex tribus jam enunciatis conditionibus, quae ad constituendum falsitatis crimen requiruntur, duas potissimum jam in hoc praetenso facinore lon-

longe abesse satis perspicuum est. Videndum nunc, an adsit fortasse tertia, dolus scilicet, qui debet, ut generalis distinguendorum criminum norma existimari, ac proinde constito hic, an dolus adfuerit, tota hæc potissimum quæstio absoluta est habenda; generaliter etenim receptum est, quod ubi non est dolus, ibi nec crimen esse potest.

Perpendendum est igitur hoc loci factum, quod ab ipso Fisco D. Marco Antonio *Andreaci* obtenditur. Insimulatur iste, nomen D. Matthæi la *Fragola* in argentariis syngraphis effinxisse, ut postea hoc modo commutatis syngraphis, illius pecuniam in suos usus erogare potuisset. Quamobrem prætendit Fiscus, hunc se contulisse ad quendam Josephum *Caleca*, ut sibi ab hoc pecunia numeraretur. Nusquam ipse cognitus huic Josepho *Caleca* fuerat, sed his non obstantibus, ut dicitur, ipse D. Marcus Antonius *Andreaci* suum proprium nomen in syngraphis conscripsit, ibi Josepho *Caleca*, ejusque filia præsentibus. His positis, ex duobus alterum est nunc omnino credendum; aut enim aliquis alius deperditas ab *Andreaci* syngraphas invenit, subscripsit, & hujus nomine est usus, ut jam supra abunde dictum est, aut si forte ipse id fecerit, equidem sine animò fraudandi, & omnino sine dolo id peregit; nam si pecuniam subripere constituisset, suum equidem nomen in syngraphis non subscripsisset, atque ita illarum syngrapharum corruptor adhuc in obscuro esset. Ficto igitur nomine etiam idem assecutus fuisset propositum, suumque characterem deformando, facile omni quacumque suspicione vacuus fuisset. Sed omnes enunciatæ cautiones omnino ab hoc fuerunt neglectæ: igitur absque dubitationis alea est concludendum, quod scilicet D. Marcus Antonius *Andreaci*, etiamsi id, quod Regius Fiscus obtendit, peregisset, nullo propemodum dolo, sed inscienter potius, atque bona fide peregerit. Non etenim hic subdolorum deceptorum mos, atque usus. Non hæc fraudem meditantium securitas, atque con-

constantia. Quin imo stolidus procul dubio, atque mentecaptus hic foret habendus, si sua sponte semetipsum tam crassa stupiditate prodidisset, proprium scilicet nomen professus, cum nusquam aliter ne suspicari quidem potuisset, quisnam illarum syngrapharum corruptor, atque commutator extiterit. Atqui tanta omnino stupiditas in homine facile credenda utique non est: & demum si quis forte id sibi factu possibile effinxerit, hic equidem miseratione magis, quam ulla pæna dignus existimabitur, cum ipsum fati infelicitas a crimine propemodum excusset (a).

Cum autem longe lateque a prætenso facinore, etiam ut Regius Fiscus contendit, dolum abesse pateat, cur diutius hic miserrimus adolescens in hoc contumaciali judicio tanto cum ipsius discrimine vexatur? Et cum veri immutatio in facto, quod Fiscus obtendit, vix adfuisse dici possit, damnum autem alterius nuspiam sit secutum, cur tam semotis suspicionibus istius innocentia amplius proteretur?

SEd illud nunc videre est, an scilicet ex statutariis hujus Regni sanctionibus, atque ex inveterata summorum Tribunalium Praxi, atque more, pæna mortis sit infligenda hujusmodi aphocarum corruptoribus, & per consequens an possint, cum absentes sint, *forjudicari*.

Nulli equidem dubium esse potest, quin severiores, atque atrociores, quæ habentur in hoc Regno sanctiones, illæ sint, quæ ad tuendam, defendendamque Argentariarum Mensarum, seu ut vulgo *Banchorum* securitatem, & fidem sunt constitutæ. Et porro id evenit ob maximas, atque innumerabiles fraudes, subdolasque calliditates, quæ admittebantur quotidie in barbaro illo incultoque ævo, quo Majores vixerunt, ut ex ipsis Pragmaticarum Proœmiis dilucide perspicitur. Nam in Pragmatica V. sub tit. de falsis sic legitur. *Perchè è tanto frequentato il delitto*

D *di*

(a) *L. 12. Dig. ad Leg. Corn. de Sicar.*

di quelli, che senza timor di Dio N.S., e della giustizia, con polise false vanno nelli Banchi, rubbando li denari alli Banchi predetti. Et in Pragmatica VIII. sub eodem titulo. *L'anni passati per la frequenza delle polise false, che si presentavano nelli publici Banchi*. Ideo igitur non immerito nimium gliscente hominum audacia, atque malitia, hujusmodi criminum pænas in illis barbaris temporibus exacerbari opus fuit, juxta Jurisconsulti monitum (*a*): ac propterea in omnibus, quæ extant Pragmaticis sanctionibus indistincte invenitur pæna mortis contra aphocarum corruptores constituta, ut ex dicta Pragmatica V., VIII., IX., X., & XIII. sub titulo de falsis perspicitur. Quæ tamen non utique semper usitatæ, sed cum temporum, atque reorum circumstantiis accomodatæ inveniuntur. Testis est laudatissimus Regens Sanfelicius in decisione 59., quæ fuit promulgata anno *1619.* in causa cujusdam Andreæ *Calandrella*. Hic argentariam apocham corrupisse convictus fuerat, & pro nomine, quod ibi erat obsignatum, suum proprium conscripserat. De eodem sic scribit præfatus Sanfelicius. *Nulli dubium est, quod falsi pæna coercetur, cum concurrat fraus, & alterius præjudicium.. Fuit tamen sub die Augusti 1619. per. M. C. pro mutatione nominis in exilium missus per triennium extra Provinciam; licet Fisci Patronus acriter institisset pro pæna remigationis.* Ex quo colligitur, quod mutatio nominis, etiam dolo, ac fraude peracta in alterius damnum, nonnisi exulari pæna est plectenda. Quæ quidem decisio ex frequenti ejusdem Tribunalis approbatione fuit confirmata, & tunc præcipue, cum ex hujusmodi falsitatibus, aut nullius damnum, aut tantummodo alicujus privati præjudicium fuerit secutum, nam (ut a doctissimis viris fuit olim observatum), cum tantum ad *Banchorum* (ut vulgo) secu-

(a) *Nonnunquam evenit, ut aliquorum maleficiorum supplicia exacerbantur, quoties nimirum multis personis grassantibus, exemplo opus sit. Claudius Saturninus in l. 16. §. ult. de pæn.*

curitatem fuerint hæc feveriffima ftatuta promulgata, tum folum ad ftatutariam pænam eft deveniendum, cum eorumdem *Bancborum* damnum fuerit fecutum. Quod etiam communis Juris difpofitionibus quodammodo convenire videtur. Cum etenim arces illæ, in quibus publica pecunia fervatur, quæ vulgo vocantur *Banchi*, ad inftar Templorum fint habendæ, quis dubitabit facrilegii, atque peculatus pæna eorum audaciam plectendam, qui ex tam relligiofis, fanctifque locis publicam pecuniam fubripere aufi fint? Quod equidem non accidit, cum tantum aut nullius, aut folummodo privati alicujus damnum fequatur: hoc etenim cafu remota omni peculatus, atque facrilegii qualitate, nonnifi furti tenetur is, qui alterius pecuniam dolofe, ac fraudolenter contrectavit.

Hanc igitur ob caufam perraro fatis in iftiufmodi facinoribus ftatutaria mortis pæna videtur executa; nam præterquamquod in hac tam exculta ætate, omnia quæcumque alia adoleverint crimina, præter illa, quæ infamiam inurunt, itaut exolefcente barbarie, famofa facinora utplurimum in defuetudinem abjerunt, atque ob id ceffante feveriffimi ftatuti caufa, nempe nimia horum criminum frequentia, eodem tempore ejufdem ftatuti afperitatem ceffare eft neceffe; id quoque huc accedit, ut fupra eft memoratum, quod cum nullius, aut tantummodo privati alicujus damnum fit fecutum, non debet ad fanguinem ufque ftatutaria pæna exafperari.

His igitur præmiffis, facile nunc erit factum, de quo D. Marcus Antonius *Andreaci* infimulatur, ad legis fenfum aptare. Satis abunde dictum eft jam fupra, atque dilucidis fane argumentis probatum, quod in facto, quod obtenditur, etiamfi fic fe habuerit, ut Regius Fifcus contendit, dolus quippe nequaquam profpicitur. Præterea non folum nullius argentariæ Menfæ (feu ut vulgo *Banchi*) damnum fuit fecutum, fed ne privato cuiquam præjudicium illatum. Ex quibus confequitur, quod cum ad fecuritatem *Banchorum* tuendam, ut etiam memoratum,

2

atque ad hominum malitiam coercendam, quæ nimis in illa ætate inoleverat, statutaria mortis pæna fuerit sancita, longe nimis abest, ut illam D. Marcus Antonius *Andreaci* (etiamsi verum fuerit, quod a Regio Fisco obtenditur, quod utique non est) sibi quodammodo minitandam, aut saltem pertimescendam existimet.

Hæc autem omnia ad hujus miserrimi adolescentis defensionem numeris omnibus explendam dicta sint. Ceterum maxima illius defensio non ex qualitate prætensi criminis est ducenda; perspicue etenim nimis ipsius innocentia ex defectu quarumcumque probationum adparet. Et quippe, qua potest animi constantia hominis vita in discrimen adduci, cum non solum facinoris auctor lateat, & huc usque in abscondito satis sit, sed nequidem de prætenso crimine adhuc constet? Quamobrem priora harum nullitatum capita sunt sapientissimis Judicibus perquam attente perpendenda, ex quibus scilicet infelicis D. Marci Antonii *Andreaci* innocentia satis luculenter clarescit.

Quarta Nullitas ex ætate hujus criminati Adolescentis locum sibi vindicat. Etiamsi in hoc judicio, vel propter testium insensitatem, vel propter istius calamitatem omnes quæcumque desiderari possunt, adessent probationes; itaut istius innocentia tandem oppressa, fati inclementiæ succumbere cogeretur, & ipse prætensi criminis auctor omnino quoquoversus adpareret; nec equidem idcirco eadem illa pœna, quam alius hoc casu meruisset, plectendus unquam foret. Hic etenim, cum obtentum facinus admisisse prætenditur, vix quartum tunc lustrum excesserat; itaut, quamvis major jam ex Municipali jure haberetur, minor equidem de jure communi tunc erat. Ex quo consequitur, quod cum & sexus, & ætatis, & conditionis habendam esse rationem (a) Jurisconsulti docuerint, procul dubio hanc ob causam esset etiam istius pœna lenienda. Ac proinde, cum nullo modo

[a] *L. Sacrilegii 6. D. ad l. Jul. pecul.*

180.

do in hoc judicio ordinariæ ſtatuti pœnæ locus eſſe poſſit, nec etiam idcirco D. Marcus Antonius *Andreaci* rectè poteſt *forjudicari*. Nec illud obſtat, quod ſcilicet ad ordinariam pœnam ſuſtinendam ſufficiat, quod Reus major ſit de jure municipali, ideſt XVIII. exceſſerit annum; nam quamvis nihil impediat, quominus (ſi tale crimen ſit, ut ultimi pœnam mereatur ſupplicii) hic rectè poſſit gladio puniri; attamen Imperator Federicus equidem non potuit in Conſtitutione illa (*a*), in qua XVIII. annum minoritatis extremum eſſe ſancivit, illud efficere, ut ſcilicet major de jure Regni plenum, integrumque haberet judicium, nulliſque ſuppoſitum captionibus, itaut nullam Judicis mereretur æquitatem; ſemper etenim fuit eadem ætatis hujus fragilitas, atque nihil uſquam æquius, quam ut hujuſmodi Adoleſcentes ex Lætoriæ (*b*) Legis beneficio erroris veniam impetrarent. Imo ex ejuſdem Conſtitutionis verbis adparet, quod nunquam Federicus Imperator omnino hanc ætatis veniam denegare autumavit dum ait, *quatenus miſeratio ætatis Judicem moverit*.

Illud igitur pro certo nunc habendum, quod quamvis ex hujus Regni municipali jure minoritatis privilegia ſint reſtricta ad annum XVIII., attamen ſi quis lubrico floreſcentis ætatis conſilio aliquid deliquerit, cum eo mitius abſque dubio eſt agendum. Julius Paulus conſultus de pœna, qua Adoleſcentes eſſent mulctandi, generaliter reſpondit, quod: *Fere in omnibus pœnalibus judiciis, & ætati & imprudentiæ ſuccurritur* (*c*). Quod Interpretes contendunt etiam procedere debere, quamvis non fuerit petitum, nam Judex hoc caſu tenetur per ſe minuere pœnam; cum iſta ſit cauſa intrinſeca, quæ delictum minuit.

Et porro nemini dubium eſſe poteſt, quin ætas juvenilis ex

iis

[a] *Conſtitut. Minorum jura ſub tit. de reſtitutione minorum.*

[b] *Lex Lætoria primum apud Romanos minoritatis annos finivit Plaut. Pſeud. Act. 1. Sc. 3. v. 68., ideoque dicta* quinavicenaria, *ſeu patet ex l. 2. C. Theod. de donat.*

[c] *L. 108. D. de R. J.*



iis potissimum fit, quæ ad delinquendum maxime homines irritant, ideoque, ut gravissimus quidam Auctor (*a*) observat, multi fuerunt, qui in prima ætatæ turpes, & omni judicio damnati, postmodum tamen laudabiles exstiterunt, quod utique non fieret, ut idem subdit, si omne peccatum vindicta sequeretur. Quam equidem sententiam fusius, atque ornatius suo more jampridem expresserat Marcus Tullius in Oratione, quam pro M. Cælio recitavit, in qua paulo liberius, quam Consularem virum decuit, fuit illam prosecutus.

Cum igitur satis sit exploratum, quod maxima sint in adolescentia vitiorum blandimenta, ita ut vix prudentissimi cujusque virtus ex illorum laqueis effugere quotidie valeat, inde equidem promanat, quod si quis forte adolescens liberius aliquantulum vixerit, cupiditatibus paruerit, atque peccatum aliquod, lubrico ætatis consilio suadente admiserit, id potius ætatis vitio, quam illius malitiæ atque improbitati est tribuendum. Quæ cum ita sint, illud equidem Judici est omnino cavendum, ne communia ætatis, atque naturæ vitia potius, quam hominum scelera plectenda arbitrentur.

Sed & his tam dulcibus naturæ illecebris, quibus quotidie adolescentia utplurimum agitatur, magna quædam accedit in illa ætate animi imbecillitas, atque consilii infirmitas, itaut iis non admodum plenum rationis judicium adsistat, ut Aristoteles (*b*) observavit, & sicuti Ulpianus docuit (*c*), dum ait *fragile, & infirmum esse hujus ætatis consilium*. Ex quo fit, quod juvenes naturæ viribus impares plerumque habeantur: nec mirum; quo etenim major est aggressi imbecillitas, eo adgressoris victoria certior evadit. Hanc igitur ob causam Plato legum consultissimus sanciendum autumavit (*d*), quod si quis, vel ob

[a] *Lactant. lib. 1. de ira Dei cap. 22.*
[b] *Aristot. Polit. 1. cap. ult.*
[c] *L. 1. D. de minor.*
[d] *Plat. lib. 9. de legib.*

ob insaniam, vel propter senium, aut florescentem ætatem quid admiserit, damnum quod intulit restituere teneretur, & omnis eidem pœna remittatur.

Potissima autem ratio, propter quam pæna Adolescentibus, si quid admiserint, est prorsus lenienda, illa quippe est, quia semper eos spes melioris frugis comitatur, ad quam temporis lapsu se recipere utplurimum solent, itaut ætatis vitia magnis postea virtutibus solent obtegere, & transacta vitæ piacula una cum adolescentia plerumque deponunt. Magna quidem, & mirabilia hujusmodi exempla in hac ætate conspiciuntur, quæ quidem reticere satius est, ne clarissimorum hominum memoria quodammodo obumbretur: & si vetera historiarum monumenta pervolvantur, illico proculdubio adparebit, nil frequentius equidem accidisse, quam ut plurimi post nefandam, profligatamque adolescentiam, optimi tandem, atque honesti homines extiterint. Quin imo utplurimum clarissimi, atque illustriores viri turpem, perditamque juventutem duxerunt, ut de L. Sulla fertur, qui ita priorem ætatem libidine, vino, atque amoribus inquinatam perduxit, ut cum deinde quæstor C. Mario Consuli daretur, iste querebatur, quod sibi tam periculosum bellum in Africa gerenti, tam delicatus quæstor obvenisset. Et tamen iste idem L. Sulla Maximus postea, atque illustris Romanæ Reipublicæ Imperator evasit, & Jugurthæ manibus catenas injecit. Innumerabilia hujusmodi exempla hic adjici possent, quæ nunc brevitatis gratia relinquuntur, eo magis quia veteres plerumque historiæ iis refertæ habentur.

Cum igitur ubique experientia cunctos doceat, adolescentiæ lapsus flexu ætatis plerumque emendari, & cum potissimum pænarum finis sit peccantium emendatio, consequitur, ut cessante causa, quia scilicet absque pæna sint juvenes se correcturi, debet ideo quoque cessare pæna, aut saltem mitigari.

Quæ omnia summopere locum sibi vindicare æquum est in

in illis delictis, quæ magis ab imperitia, atque facilitate, quam ex morum pravitate dependent; si etenim aliquando ignorantia est in aliquo præsumenda, illa in adolescentibus quasi certa est existimanda, utpote qui impetu magis, quam ullo rationis adhibito consilio utplurimum agere solent. Quod quidem in facto, quod D. Marco Antonio *Andreaci* a Regio Fisco obtenditur, evenisse prospicitur; nam etiam si verum foret (quod utique non est), sine ulla hæsitatione syngrapharum commutatio nullo dolo, sed potius ex ætatis imperitia videtur confecta. Et sane quisnam prudens, atque consilii potens (si vera foret ejus subscriptio) proprium in illis syngraphis inscripsisset nomen, atque ita proprium crimen prodidisset, cum aliter hoc factum adhuc in obscuro esse debuisset? Nonne hæc omnia, si ab ipso fuissent peracta, satis abundeque juvenilis consilii infirmitatem demonstrant?

Ex his igitur omnibus concludendum, quod, cum florescentis ætatis lapsus potius miseratione quam pæna digni videantur, & propter peculiare illius ætatis vitiorum irritamentum, atque ob consilii infirmitatem, & demum propter spem melioris frugis, ut supra jam abunde dictum est, Judices omnino, cum de ipsorum peccatis debent recognoscere, memores illius C. Cæsaris dicti esse debent cum Ptolomeo Ægyptiorum Regi Magni Pompei interfectori pepercit, scilicet ...*Sed parcimus annis, donamusque nefas* (*a*).

Et hæc sint satis ad innocentiam purgandam. Reliqua circa Judicii ordinem, atque praxis observantiam versabuntur; ex quibus non mediocris persæpe oritur criminatorum defensio, atque salus: ordo etenim judiciorum cum penitus super statutariis legibus nitatur, consequitur, quod si in aliqua sui parte negligatur, tota illico Judicii moles prolabitur, ac proinde Reus, etiamsi cõvictus adparuerit, non potest amplius, nisi novo constructo judicio condemnari.

Quin-

(a) *Lucan. lib. 9. Pharsal.*

QUinta Nullitas ex municipalibus hujus Regni Statutis habetur; ex quibus scilicet fuit cautum, ut in citationibus, quæ in partibus per nuncios exsolvuntur, duo saltem testes præsto sint. (a) Quod tamen ita est intelligendum, ut in quolibet citationis actu diversi semper testes adhibeantur ex ea potissimum ratione ut omnis falsitatis suspicio longe omnino absit. Nam si altius hujus statuti ratio perscrutetur, illico sane adparebit, non abs re id fuisse præscriptum: nempe, cum non aliter in hujusmodi citationibus veritas arguatur, nisi ex nunciorum attestationibus, facile poterit evenire, ut ipsi, aut dolose, aut per oscitantiam citationes explere negligant: facile etenim nunciis redditur duos testes sibi ad pejerandum addictos retinere, eosque singulis citationis actibus adhibere. Quo quidem casu, quomodo amplius possent veritatis vestigia prospici, & absentis jura per conjunctos, aut amicos opportuna defensione patefieri?

Et id nimirum in citationibus contra absentem D.Marcum Antonium *Andreaci* expeditis accidit. In citatione etenim *ad informandum*, quæ fuit peracta sub die 13.mensis Januarii elapsi anni 1762. fuerunt ut testes designati Johannes *Sciarappa*, & Januarius *Gallo*; & inde ipsimet fuerunt testes adhibiti in citatione *ad capitula*. Præterea in citationibus *ad forjudicandum* Roccus *Causerta* & Potitus *Palazzo* fuerunt testes tam in citatione domi, aliisque familiæ gentibus, quam in reliquis, quæ pro conjunctis, vicinisque fuerunt expletæ, cum econtra diversi, ut dictum est, testes pro qualibet citatione fuissent designandi. (b) Ex his igitur, quæ supra sunt allata, evidentissime hæc nullitas ortum ducit, ex defectu nempe non adimpletæ legalis solemnitatis.

SExta Nullitas. Praxis generalis, & constans M.C.V., & communis Doctorum opinio adfert, quod cum citationes

E contra

[a] *Prag. 2. de cit. Prag. 2. de ord. judic. Constit.*citationis literæ.

[b] *Ioh. Lagan. ad Rovit. in Prag. 2. de citat., allegationem incerti Auctoris suis scriptis inferens.*

contra absentem peraguntur, omnino solemne exigi debeat jusjurandum a conjunctis, & affinibus cunctis, ut quam primum possint inquisito nuncient ambas contra ipsum citationes expeditas (*a*).

Quod quidem sapienter nimis fuit introductum. Jura nimirum, quæ longe hoc contumaciale contra absentem judicium abhorrent, cautum voluerunt, ut omnia adhiberentur consilia, ne scilicet quidquam inscio reo in judicio peragеretur. Hæc prorsus nimis necessaria solemnitas in *Andreaci* citationibus fuit omnino neglecta: nullum a conjunctis jusjurandum exactum, & nulla fuit unquam cura adhibita, ut ille infelix quidnam contra ipsum peragеretur, notum haberet. Ex hac igitur nullitate maximum procul dubio ipsimet gignetur adjumentum.

SEptima Nullitas. In omnibus fere citationibus, quæ fuerunt contra *Andreaci* expeditæ, tam *ad informandum*, & *ad Capitula*, *quam ad forjudicandum* fuit appositum: *prima die juridica personaliter compareat*. Jam cuique notum erat, prædictum *Andreaci* civem esse Asculanum; idque ex ipsis Fisci actis per quam dilucide colligebatur. Debuerat idcirco in iisdem competens quoddam temporis spatium ad comparendum tribui, ut postea hoc transacto jure contumax esset habendus; non autem tam festinanter primum juris designare diem, qui forsitan immediate post diem citationis succedere, aut alium sequentem, potuerat, itaut nullum omnino spatium citato absenti ut judicio sisteret tribueretur. Sicuti revera in hoc præsenti casu evenit: nam citatio *ad informandum* & ad *Capitula* fuit expedita die 13. mensis Januarii, & in eadem, ut in reliquis, appositum fuit: *prima die juridica personaliter compareat*: quæ prima dies fuit decimaquinta ejusdem mensis. Quomodo igitur D. Marcus Antonius *Andreaci*, qui in Asculana Civitate permanere credebatur, illico poterat in

[a] *Foller. prax. crim. rubr.* fiat relatio nuncii *num.* 8. *Gramm. conf.* 1. *n.* 2. *Scial. de forjud. cap.* 16. *num.* 13., *aliique quamplurimi ex clara dispositione prædictæ Constit.* citationis literæ.

in tam brevi temporis ſpatio ſe in hanc Urbem conferre? Longinquitas etenim locorum ſemper eſt præ oculis habenda ; nec unquam judiciarius contumacialis curſus ſic erit præcipitandu, ut reo penitus lateat quidquid contra ipſum agatur. Quippe in hujuſmodi citationibus juxta communem Fori praxim, tunc prima juris dies ad comparendum præfinitur, quoties citandus in eadem, in qua Magiſtratus reſidet, permaneat Civitate.

OCtava Nullitas. Prima die menſis Februarii prædictus *Andreaci* contumax fuit declaratus, eodemque die terminus unius menſis ad denunciandum fuit a M. C. tributus, quamvis eidem M. Curiæ fuiſſet expoſitum in ſupplici libello, quod ipſe D. Marcus Antonius Venetjis forte, quibusdam domeſticis negotiis impeditus, detineretur ; cum econtra duorum ſaltem menſium ſpatium fuiſſet a M.C. tribuendum, ut poſſet ſcilicet ipſe certior fieri, & ſeſe itineri præparare, quod peculiariter ab Imperatore Friderico fuit conſtitutum, nempe quod citatis extra Regnum manentibus terminus duorum menſium eſſet tribuendus, infra quem comparere teneantur (*a*). Idem etiam ex communi Doctorum calculo fuit comprobatum (*b*) neceſſarium nimis, quod in hujuſmodi judiciis conſtanter uſque obſervetur; ne ſcilicet abſens, ut contumax illico condemnetur, utpote qui aut penitus quidquid contra ipſum agitur ignorat, aut temporis anguſtiis circumſcriptus ad tam feſtinatam reverſionem ſe diſponere nequit.

NOna Nullitas ex eodem fere principio ortum ducit. Poſtquam executa fuit citatio *ad forjudicandum*, atque contumaciæ incuſatæ, alius exinde terminus ad denunciandum fuit poſtulatus, ut præfatus *Andreaci* certior fieri poſſet, qui non amplius Venetiis degebat, ſed ad Viennenſem Urbem ſe contulerat. M.C. vero tam juſtæ peti-

[a) *In Conſtit.* Regni Edict. *de lit. citat.*

[b] *Andreas de Iſernia ſuper citat. Conſtit. Bajardus ad* Clarum *conſ.* 99. *num.* 293. *Farinac. quæſt.* 49. *num.* 293. *Viv. deciſ.* 361. *num.* 2. *Idem deciſ.* 42. *num.* 16. *Poilic. de poteſt, Reg. Aud. cap.* 47. *num.* 17.

petitioni deferre noluit, quamvis alium ad denunciandum terminum, etiam attenta prioris termini brevitate, omnino concedere debuisset.

Decima Nullitas. In omnibus contumacialibus judiciis cuncti prætensi rei affines, & consanguinei ad quartum usque gradum sunt citandi, ut scilicet exceptiones, atque defensiones pro absente proponant, immo non solum conjuncti, verum etiam sodales, atque vicini, & si forte alii sunt, quos verisimile est defensionem non omissuros (*a*), ut lex ipsa loquitur. Quod utique in hoc contumaciali judicio non fuit executum; quamplures etenim *Andreaci* conjuncti, qui in diversis Apuliæ Civitatibus degebant non fuerunt de ulla contra hunc absentem citatione certiores facti, ut ex nonnullis Appularum Civitatum testimoniis colligitur.

En tandem hoc defensionis, atque excusationis opus pro absente infelicissimo juvene ad suum jam finem perductum; neutiquam vero absolutum, atque perfectum: nonnulla etenim alia argumenta, & rationes, quæ hic ad calcem addi potuissent, tamquam supervacua, & prorsus inutilia sunt habita, maxima quidem Judicantium sapientia, & æquitate perspecta, qui procul dubio, postquam hujus causæ justitiam cognoverint, hunc miserrimum adolescentem sibi, Patriæque, & Patri amantissimo restituent.

Neap. III. Id. Jun. MDCCLXIII.

Franciscus Maria Pirellius
Caussæ Patronus.

(a) *L. hac autem* §. 1. *ff. quib. ex caus. in possess. eat. Rovit. de forjud. sent. tom.* 3. *Tapp. decis.* 50. *num.* 22., Capyc. *Lat. decis.* 74., *Merlin. controv. lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 19.